§. 3. Et quoad vers. Notarii non audeant declaramus sufficere quod Notarius, aut unus ex testibus cognoscat alterum ex contrahentibus. Et quando contrahens esset alienigena, sive peregrinus, aut tam vilis conditionis, ut ejus cognitio, vel notitia esset in Urbe difficilis, contractum nihilominus fieri permittimus cum licentia Gubernatoris, sive Auditoris Camerae, aut Vicarii, vel Senatoris, seu Judicum ipsorum, aut Burgi, modò dicta Judicis licentia in instrumento adnotetur, ac pro ea nihil omnino, neque Judici, neque Notario solvatur.

Cap. istud est ibid. n. 37.

§. 4. Quoad vers. Citationes, monitoria, post verba, Aut aliter illas obtinentes. Addatur, & electo domicilio.

Cap. istud est ibid. n. 11.

§. 5. In vers. Ad rogandum vero &c. in fin. Addatur. Volumus autem, & declaramus, quod omnia Testamenta, & contractus, intelligantur rogati nomine officii, sive Notarii primarii, non autem nomine proprio, etiam quod aliter exprimeretur, alias Notarii Substituti, aut alioquin in aliorum officiiis manentes severissime puniantur arbitrio Judicum cujusque Tribunalis.

Hoc cap. est ibid. n. 36.

§. 6. Quoad vers. Responsiones, declaramus excipiendas esse mulieres, & egregias personas, ad quas Notarius possit Judicis arbitrio transmitti, qui Judex quandoque ipse dictis responsionibus, aut juramentis, etiam in domo respondentis, aut jurantis, vel alibi intervenerit, nihil recipere possit, aut debeat.

Hoc cap. est ibid. n. 61.

§. 7. Quoad vers. Notarii locorum Piorum, declaramus, loca pia, quae Notario opera uti haecenus consueverunt, non posse de cetero, alium Notarium tam in civilibus, quam in criminalibus eligere, quam unum ex dictis Vicariis Notariis, inter quos, & solita distributio servetur, & solita merces solvatur.

Hoc cap. est ibid. n. 121.

§. 8. Quo vero ad registra vers. Neque exigant, declaramus illa verba, nisi illis completis, intelligi de actis factis, usque ad diem petitae confectiois extractus, sive registri.

Hoc cap. est ibid. §. 20. n. 33.

§. 9. Quoad vers. Non rubricentur, declaramus, tunc non esse rubricandos processus de partibus quando bene fuerint in partibus rubricati, alioqui prohibemus in Curia ab alio, quam a Notario causa rubricari.

Hoc cap. est ibid. n. 25.

10. Quoad vers. In vere autem Commissariis, & vers. processus de partibus, declaramus non fuisse nostrae intentionis comprehendere Notarium Archivii, qui propterea possit in causis Commissariis cujuscumque valoris registra conficere, in illisque processibus de partibus, remissoriales, & compulsorias, sive excederent, sive non, folia viginti quatuor registrarere; servata in ca-

Hoc cap. est ibid. n. 3.

ceteris forma in dicta nostra reformatione contenta super registratione confectione.

§. 11. Quo vero ad Cursores, *versic. Cursores pro qualibet citatione*, dec laramus Trevii Regionem pro locis ultra fontem, & arcum Trevii non citra, nec ullo pacto inter partes longinquas enumerari loca illa, quae vel antea ipsi Cursores non enumerabant, vel pro quibus solita mercede bonon. duorum contenti erant, ne quod a Nobis ad publicam utilitatem, & tollendo abusus constitutum est prava interpretatione contrarium pariat effectum.

§. 12. Insuper declaramus, pro citatione contra Episcopos, vel alias qualificatas personas, quinque bonon. accipere posse, quando citatio sit personaliter contra ipsammet personam qualificatam exequuta, non autem contra Procuratorem, vel aliter.

§. 13. Et dum in eadem nostra, reformatione prohibetur Auditori Camera concedere remissoriam ad partes ad examinandum, vel repetendum citata parte testes ad instantiam Fisci, vel ad probandam ejus intentionem, & prout latius in ea, declaramus id non procedere, si aliqua legitima subsistente causa aliud in aliquo particulari casu ipsimet Auditori visum fuerit.

§. 14. Insuper in *versic. Quodque super permissoria &c.* post verba, *vel alibi non suscepit*. Addatur, vel nisi ex legitima causa sui Tribunalis tantum, & non alias.

§. 15. Quoad taxam impressas post dictam nostram reformationem, infra scripta corrigi mandamus. In primis quoad Notarios Camera deleatur *versic. idem fiat de pallibus, & versic. Idem de sapone*, utpote impressoris errore supervacaneae edicta, ex quo jam super sufficienter erat provisum.

§. 16. Quoad *versic. ultimum taxae Notariorum Cam. incip. Pro non comprahensis*, declaramus intelligi de expeditionibus gratiosis. In judicialibus autem siquid in ea, vel aliis taxis fuerit praetermissum, servetur de similibus ad similia.

§. 17. Quoad taxam Notariorum Gubernatoris, Vicarii, & aliorum, *versic. Pro restitutione depositi*, bonon. unum pro quolibet scuto, intelligi volumus in causis mercedum; in aliis vero bon. duos pro quolibet scuto permittimus, sicuti vere in taxa fel. record. Pii Quarti praedecessoris nostri habetur, licet aliter aliquando fuerit per errorem impressum.

§. 18. Et in eadem taxa *versic. Pro copia simplicis cujuslibet instrumenti in actis rogati*. Declaramus intelligi de instrumento actus judicialis, non de simplici extrajudicialium instrumentorum copia, pro qua bene, & ad instar boni originalis descripta, bonon. septem cum dimidio pro quolibet folio solvi, & exigi permittimus.

§. 19. Quoad taxam Notariorum Rotae in primo *versic. Julius sexaginta sex*, legendum, declaramus, non autem sexaginta, prout impressoris errore fuit notatum.

§. 20. Quoad taxam Archivi, *versic. Pro instrumento absolutionis*, mandamus corrigi juxta taxam fel. rec. Gregorii XIII. praedecessoris nostri,

§. 21. Rursus in *versic. Pro pauperibus* declaramus, & volumus servari eandem taxam fel. record. Gregorii XIII., ut admissi ad juramentum paupertatis, juxta formam dictae taxae solvant.

§. 22. Quoad taxam Notariorum criminalium Gubernatoris, A.C., & aliorum, *versic. Pro qualibet folio copie indiciorum*, declaramus intelligendum, ut qualibet pagina, idest facies cujuslibet continere debeat lineas viginti quatuor, prout in nostra reformatione, sub *tit. de registris §. Singula folia, & alibi*, volumus intelligi.

§. 23. Quoad taxam fori Capitolini, *versic. Acentum usque ad ducentos*. Addatur verbum, alios, errore Scriptoris omisum.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & extraordinarios, & etiam exequutores dictae nostrae Constitutionis, judicari, & definiti debere, sublata &c. irritum &c.

Non obstantibus praemissis, ac prioribus literis super reformatione, & taxis emanatis, ceterisque contrariis quibuscumque, & cum decreto, quod praesentis solae signat ura sufficiat, etiam absque alia data, & registratura.

Placet Motu proprio.

Sequitur declaratio ejusdem Reformationis quoad Aromatarios Urbis.

PAULUS PAPA QUINTUS

Motu proprio &c.

CUM post aliquas declarationes a Nobis Constitutioni, quam super reformatione Tribunalium Urbis condidimus factas, Aromatarii, quaedam ejusdem Constitutionis capita ipsos tangentia declarari suppliciter postulerint; Nos dubia tollere, & litibus occurrere cupientes.

§. 24. Dum in praefata nostra Constitutione dicimus, pro pretio Aromatariae servandam esse praescriptionem quinquennalem, non obstante quavis interruptione, etiam per receptionem partis pecuniarum, aut per dationem aliarum rerum Aromatariae, declaramus dictam dispositionem, non intelligi, neque locum sibi vindicare, ubi, vel interruptio fuerit judicialis, vel aliter, quam per proprios ipsorum libros Aromatarii suum creditum probaverint, quibus casibus dispositionem Statutorum Urbis servari volumus, & mandamus.

§. 25. Insuper dum in eadem Constitutione interdiximus Aromatariis, ne ullam prorsus audeant in quemquam exercere, sub quovis pretextu criminalem Jurisdictionem, declaramus intentionis nostrae non fuisse adimere eis facultatem alias ipsis a fel. rec. Clem. VIII. Praedecessore nostro concessam, res medicinales ad eorum artes spectantes, visitandi, recognoscendi, & quod in eis corrupti, vitiosi, vel adulterati repertum fuerit, proiciendi, comprehendique, ac juxta de-

Hoc eadem est sup in Conflic. 183. §. 21. n. 21.

Hoc est additum.

Hoc cap. est in dicta Constitut. 189. §. 4. n. 24.

Hoc cap. est ibid. n. 4.

Hoc cap. est ibid. §. 1. n. 126. & seq.

Hoc cap. est ibid. n. 186.

Hoc cap. est in Constitut. preced. §. 2. n. 17.

Hoc cap. est ibid. n. 70.

Hoc cap. est in Constitut. preced. §. 4. in princ.

Hoc cap. est in dic. Constit. §. 5. n. 16.

Hoc ead. est num. 62.

Hoc cap. est in d. Constit. preced. §. 6. num. 44.

Hoc cap. est in §. 7. n. 4.

Clausula sublata, & decretum irritans.

PP. sub. &c.

Causa hujus declarationis.

Declaratio circa praescriptionem.

Declaratio circa jurisdictionem criminalem.

delicti, & negligentiae qualitatem culpabilis repertos debitis poenis non tamen corporis afflictivis, quae poena Ecclesiae, & Hospitali S. Laurentii in Miranda nuncupata eo ipso applicentur, & applicatae cessantur, efficiendi. Quod tamen quoad liberos negamus, etiam quod in illis fraus aliqua detegeretur, sed hoc a suo Judice competeiti cognosci, ac definiti debere intendimus, & mandamus.

§. 26. Et tum in dicta constitutione nostra sancitum est, quod Consules nullam habeant jurisdictionem eligendi Aromatarium, quem Proconsulem vocant, ad visitandas aromatarias extra Urbem, minisque subscribendi patentes uti Consules districtus Urbis, & superintendentes artis in statu Ecclesiastico, sed talis eligendi potestas penes Protomedicum sit, & remaneat. Declaramus nostrae intentionis non fuisse quoad hoc derogare concordiae alias initae inter Collegium Physicorum, & Collegium Aromatariorum, dum in ea dicitur, quod quotiescumque ad visitandas aromatarias extra Urbem, Medicus ex Urbe mittendus erit, ne eis forsitan artis Aromatariae impeditum sibi comitem adjungat, Prothomedicus qui Visitatoris designandi jus obtinet, Urbanis Aromatariis id denunciaret, atque ab eis exquirat, habeant ne aliquem peritum, & idoneum hominem, qui Medico illi in hujusmodi visitationis munere, comes, & minister esse velit &c. juxta praedictam concordiam confirmatam per fe. record. Gregorium XIII. praedecessorem nostrum, sub die prima Julii 1575. *versic. Quotiescumque ad visitandas Tabernas &c.* Dummodo Aromatarii, neque jurisdictionem propterea in hoc sibi aliquam usurpent juxta formam dictae concordiae, neque electum Proconsulem vocent, neque patentes subscribant, uti Consules districtus Urbis, neque quicquam contra tenorem nostrae praedictae Constitutionis faciant, sub poenis in ea contentis.

§. 27. Et praesentis sola signatura sufficiat, etiam absque alia data, & registratura.

Placet motu proprio C.

CXCII.

Facultas Nuncio Colonien. conferendi Beneficia in Mensibus Sedi Apostolicae reservatis in Westphalia, & districtu Oppidi Aquisgrani Leodiens. Dioecesis Romano Imperio vacante.

Ven. Fratri Antonio Episcopo Vigilien. Nostro, & Sedi Apostolicae in partibus inferioris Germania Nuncio.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ven. Frater Salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD Westphaliae Provincia, necnon Terrae, & Districtus Aquisgranz Leodiens. Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

Declaratio circa electionem Aromatarii mirandi extra Urbem ad visitandas aromatarias.

Sola Signatura sufficit.

Subscriptio Papa.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Concessio facultatis, de qua in rub.

Dioecesis Statum pro Nostris Pastoralis officii debito animum convertentes, & Beneficiorum inibi consistentium, Sacro Romano Imperio vacante, collationi prospicere volentes, ac de fraternitatis tuae fide, prudentia, & integritate plurimum in Domino confisi, eidem fraternitati tuae, ut quaecumque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura secularia, & quorumvis ordinum regularia in locis Provinciae, Terrae, & districtus praedictorum Westphaliae, & Aquisgrani, quorum tamen jurisdictionis temporalis ab haereticis occupatur, consistentia, etiam si secularia, Canonicatus, & Praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis etiam curata, Nobis, & Apostolicae Sedi ratione Mensium, vel alias quomodo libet juxta concordata dudum inter eandem Sedem, & inclitam Nationem Germanicam inita reservata, quae durante vacatione Imperii praedicti per obitum clarae memor. Rodulphi dum vixit Romanorum Regis in Imperatorem electi in dictis Ecclesiis vacare contigerit, quibusvis personis, quae tibi magis idoneae, & in primis in fide Catholica constantes videbuntur, etiam quaecumque, quotcumque, & qualicumque cum cura, & sine cura cum eisdem tamen conferendis Beneficiis compatientia Beneficia Ecclesiastica obtinentibus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis Apostolica auctoritate juxta Sacrorum Canonum, & Conciliorum dispositionem conferre, & de illis etiam providere, ipsaque personas, vel eorum Procuratores illarum nomine in corporalem possessionem per te eis, ut praefertur conferendorum Beneficiorum, juriumque, & pertinentiarum omnium eorumdem inducere, & inductos defendere, tibi; de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi;

§. 2. Aliaque in praemissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, etiam contradicentes quoslibet, & rebelles per poenas pecuniarias tibi benevisas, ac demum per censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo libere, & licite valeas, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.

§. 3. Decernentes reservationes in dictis Mensibus, regulas, Constitutiones, & Ordinationes, ac decreta in illis contenta quoad impediendum, te quominus concessio tibi per praesentes indulto uti valeas, ad Beneficia hujusmodi nullatenus extendere, ac irritum, & inane si secus super praemissis etiam per Nos, & alios quoscumque quavis auctoritate scierit, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis Apostolicis, nec non per Nos in contrarium editis, & edendis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Cancellariae Apostolicae regulis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice ad effectum praesentium tantum specialiter, & expressis

Aliarumque ad hoc necessarium.

Clausula

Derogatio contrariorum

Decreta Concilii Tridentini, & Constitutiones Apostolicas in huiusmodi collationibus servanda.

Infra sex Menses literas Apostolicas expediendas.

Dat. die 10. Martii 1612. An. VII.

preste derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, quod tam Parochiales Ecclesie, & alia Curata, quam cetera Beneficia omnia iuxta formam, & tenorem decretorum Sacri Concilii Tridentini super hoc editorum personis dignis, & idoneis, etiam quae prius professionem fidei iuxta literarum fe. re. Pii Papae IV. Praedecessoris Nostri desuper editarum formam emittere omnino teneantur, super quo tuam Conscientiam oneramus, conferre debeas, aliter collationes nulle sint.

§.6. Quodque ii, quibus Beneficia aliqua huiusmodi vigore praesentium contuleris, infra sex menses a die illis factae eorumdem Beneficiorum provisionis computan., novas provisiones super beneficiis huiusmodi a Nobis impetrare, & literas Apostolicas desuper in totum expedire, ac Jura Camerae Apostolicae propterea persolvere omnino teneantur, possintque per alios ab eadem Sede libere impetrari. Et insuper in literis provisionis, quae de ipsis Beneficiis sic reservatis, vel affectis per te vigore praesentium fieri, decretum huiusmodi exprimi debeat, alioquin Provisiones huiusmodi similiter nullius sint roboris, vel momenti.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martii 1612. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CXCIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio ad Praepositum, Decanum, Capitulum, & Canonicos Ecclesiae Salisburgen. inquirendi de fide, vita, & moribus Marci electi ipsius Ecclesiae Salisburgen. Archiepiscopi.

Dilecto filio Magistro Antonio Diaz in utraque Signatura nostra Referendario ad dilectos etiam filios Praepositum, Decanum, Capitulum, & Canonicos Ecclesiae Salisburgen., Nuncio nostro.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Marcus Altaemps in Archiep. Salisburgen. elegitur.

§.1. Cum, sicut accepimus, nuper Ecclesia Salisburgen. certo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, modo Pastoris solatio destituta, dilecti etiam filii Decanus, Capitulum, & Canonici dictae Ecclesiae, qui electionem futuri Archiepiscopi in casu vacationis praedictae concessimus, & indulimus, in unum legitime congregati, dilectum pariter filium Marcum ex Comitibus ab Altaemps eisdem Ecclesiae Canonicum in Archiepiscopum canonicè elegerunt.

Commissio de qua in rubrica.

§.2. Nos de tua fide, prudentia, doctrina, & morum probitate plurimam in Domino fiduciam habentes, tibi munus instructionis, examinis, & inquisitionis de

fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia, aliisque personalibus qualitatibus dicti Marci electi, nec non de Ecclesia Salisburgen. statu, apostolica auctoritate, tenore praesentium committimus.

§.2. Dantes tibi plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem omniam, & singula, quae ad instructionem, examen, & inquisitionem huiusmodi iuxta sacrorum canonum dispositionem requiruntur faciendi, & professionem fidei dicti Marci electi, servata tamen in omnibus forma literarum fel. rec. Gregorii Papae XIII. Praedecessoris nostri desuper editarum recipiendi.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiae, illiusque Praefuli, Capitulo, & Canonicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 30. Martii 1612. Pontificatus nostri Anno VII.

CXCIV.

Facultas Nuncio Salisburgen. suspendendi quaedam statuta a Capitulo, & Canonicis ipsius Ecclesiae Salisburgen. edita.

Dilecto filio Magistro Antonio Diaz in utraque Signatura nostra Referendario nostro, & Sedis Apostolicae apud dilectos etiam filios Praepositum, Decanum, & Capitulum, & Canonicos Ecclesiae Salisburgen. Nuncio.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. Cum, sicut accepimus, nuper Ecclesia Salisburgen., per cessionem regimini, & administrationis Venerabilis Fratris Wolsfangi Archiepiscopi nuper Salisburgen. in manibus tuis sponte factam, & per te, auctoritate a Nobis tibi attributa, admittam vacante, dilecti etiam filii Praepositus, Decanus, & Capitulum, & Canonici dictae Ecclesiae ante electionem, certa statuta, conventiones, seu pacta, aut Capitula fecerint, & juraverint, ac illis se subscriperint, quae nonnulla praedicta iurisdictioni pro tempore existenti Archie-

Facultatum necessarium concessio.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 30. Martii 1612. An. VII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ecclesia Salisburgen. vacante Capitulum nonnulla statuta ediderat.

Committitur Nuncio Apostolico, ut ea referendat, vel susceperat.

Concessio ad id necessarium facultatibus.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 14. Aprilis 1612. An. VII.

piscopo Salisburgen. competentem, & forsitan alia sacris Canonibus contraria continent.

§.2. Nos, quibus omnium Ecclesiarum, & sacrorum Canonum commissa est custodia, ex nostri apostolatus officio, Tibi per praesentes committimus, & mandamus, ut si ita tibi videbitur, & in Domino expedire judicaveris, statuta, conventiones, seu pacta, aut Capitula huiusmodi, illorumque effectum, donec, & quousque a Nobis visa, examinata, & quid desuper decernendum erit, a Nobis, & Apostolica Sede decretum fuerit, auctoritate nostra Apostolica suspendas, & ad illorum observantiam tam electum Salisburgen., quam Praepositum, Decanum, Capitulum, & Canonicos praedictos, & alios quoscumque minime teneri decernas, ac quatenus opus sit, quaecumque juramenta per eos desuper praestita, ad effectum praemissum relaxes, seu suspendas, vel si etiam opus esse duxeris, eadem statuta, conventiones, seu pacta, aut capitula, reliquis eisdem Ecclesiae statutis in suo robore permanentibus, dicta auctoritate, casses, irrites, & annullas, viribusque, & effectu evacues, aut alias mandes, statuas, & decernas.

§.3. Nos enim tibi super praemissis, Electo, Praeposito, Decano, Capitulo, & Canonicis praedictis, & quibusvis aliis etiam per sententias, censuras, & penas ecclesiasticas inhibendi, aliaque praemissa in eisdem, & circa ea quomodolibet necessaria faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem, eadem apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus, & impertimur.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Ecclesiae, illiusque Praefuli, Capitulo, & quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsitan quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa mentio habenda esset, eorum omnium, & singulorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Aprilis 1612. Pontificatus nostri Anno VII.

Monetur Archiepiscopus Electus Salisburgen. ne quaedam pacta, seu conventiones per Capitulum, & Canonicos Salisburgen. initas, aut juramento firmatas observet.

Dilecto filio Marco Electo Salisburgen.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii Praepositus, Decanus, Capitulum, & Canonici Ecclesiae Salisburgen. antequam ad electionem novi Archiepiscopi, per quam tu electus fuisti, devenirent, certa statuta, pacta, conventiones, seu Capitula fecerint, ac juramento illa observare promiserint, in quibus nonnulla iurisdictioni Archiepiscopi Salisburgen. praedicta, & forsitan alia sacris Canonibus contraria continentur, tuque inter ceteros Canonicos ad illa observanda juramento similiter te obstrinxeris.

§.2. Nos pro pastoralis officii nostri debito, tecum, quem paterna charitate diligimus, paterne etiam agere volentes, ex corde in Domino te hortamur, ut praedicta statuta, pacta, conventiones, seu Capitula adversus sacros Canones inita, decreta, & etiam jurata, non immemor, quod praedicti sacri Canones statuunt minime observes, nec jures, id quod, & tuo officio consentaneum, & Nobis pergratum erit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Aprilis 1612. Pontificatus nostri Anno VII.

CXCVI.

Mandatum eidem Electo Archiepiscopo super eadem.

Dilecto filio Marco Electo Salisburgen.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. Ad Apostolatus Nostri audientiam pervenit, quod nuper dilecti filii Praepositus, Decanus, Capitulum, & Canonici Ecclesiae Salisburgen., ex cuius gremio tu etiam eras, antequam ad electionem futuri Archiepiscopi devenirent, certa statuta, conventiones, seu pacta, aut Capitula fecerint, & observare jurarunt, iurisdictioni Archiepiscopi Salisburgen. praedicta, & alia forsitan continen. Sacrorum Canonum dispositionibus contraria.

§.2. Idcirco Nos pro pastoralis officio nostri debito a te serio requirimus, tibi que in virtute Sanctae obedientiae, & sub indi-

Ex Regest. in Secret. Brev.

Capitulum statuta nonnulla iurisdictioni Archiepiscopi praedicta edidit.

Admonitio de qua in rubrica.

Dat. die 14. Aprilis 1612. An. VII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Pa&i series.

Mandatum Archiepiscopo, ne edita statuta juret, vel observet.